DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
VITA FOETILI

Quam

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARRISSINORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA

RITE OBTINENDA

IN

CELEBERRIMA

C. R. ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit.

Joannes Bapt. Rimmel,

Hungarus Trentschiniensis

Medicus Castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die Maii 1840.

VINDOBONAE.

Ex Typographia Francisci Ludwig.

Ne quid nimis.

PROOEMIUM.

Legi academiae ad Doctoratus Medicinae et Chirurgiae lauream attingendam satisfacturus, dubius horeo, cui ex immenso, qui Medicinae est, campo materiae primitias studii mei noveam; sedulo sic circumspiciens, menti sese abtrudit quaestio: an in formanda morborum serie non altius, quam plerumque hucdum fecere, initium quaerendum, an non remotiori loco incipiendum quam ab homine nato? Sufficiat quodammodo philosophis vitam humanam post partum considerasse; sufficiat jurium consultis, politicae etenim conditiones hominem solum natum respiciunt medicis vero et naturae scrutatoribus prima quoque vitae humanae rudimenta, infimae quoque germinis formae et conditiones summi momenti sint, oportet, intimam cum seriori vitae processu foventes conjunctionem.

Hominis igitur in utero matris reclusi vita, ab illa hominis nati haud diversa: hic aperta, ibi eclata. Nunquam ergo ambigam, multas saepe constitutionis psychiae proprietates hic suum agnoscere fontem, multorum saepe vitiorum posthumorum causam, quid? etiam psychiae indolis nonnullae.

Scientia haec, quae in operationibus vitae sanae et morbosae hominis nondum nati versa-

tur, Physiologia et Pathologia embryonis memorata dignissima, a plerisque scriptorum poenitus derelicta, multis adhuc obruitur difficultatibus, multis adhuc caligine denso obfuscatis. — Quare mihi tyroni, qui solum operibus virorum his praecipue operam navantium usus, nihil novi solum usu digniora selegi, in ordinem perceptione facioliora redigere conatus, indulgentiam largiri rogo atque spero; Physiologiam Pathologiae hoc in opusculo praemittens.

Auctor.

CAPUT I.

DE ORIGINE VITAE FOETILIS.

§. 1.

Evolutio germinis humani in utero matris cela-ta, vitae foetilis nomine insignis.

§. 2.

Scrutantes in originis rationem vitae foetilis, organa, in quibus ovum humanum residet, et ipsa ova, mascula vi nedum exagitata, adumbrent necesse est. — Prima jam vitae periodo in embryone novem hebdomadum amplitudine eximia, uteri et vesicae urinariae superante, renum aequante Rosenmueller 1) defendit; magnitudine eorum sensim sensimve ad perfectam usque formationem adaugenda. Mox vasa in eis distincte conspicua (corpora conica Rosenmuelleri) structura sua merifice convoluta, organa dignitatis minoris haud declarant, (similia vasis cerebralibus) indicia nec non secretionis et formationis exhibentia. Vesiculae paulo post, ovula quippe ipsa, intuitioni sese abtrudunt, duplicem vesiculam, internam remotam ab externa, offerentes.

§. 3.

Nefas tamen est, quin in conceptum vulgarem **et usu receptum** delaberentur, qui praeeunte Waltero 2) contendunt, ovulis absque coitu nisu spontaneo matris viribus solum exagitatis, in uterumve translatis embryonem humanum formari. Quid aliud

---

1) Rosenmueller J. Chr. De ovariis embryonum, et foetuum humanorum. Lips. 1812.

2) Walter Joh. Gottf. Betrachtungen über die Geburtstheile des weibl. Geschlechts. Berlin 1793. §. 25. S. 99.

aliud hinc elucet, quam rudis de praeformato in ovo embryone doctrina materialis? Observationes recentiores (Joergii praesertim) docuere quidem ex organis ovi coitu foecundo ad majorem excitatis activitatem explicari, duplici vesicula mox in chorion atque amnion secedente, vasorum ope ad embryonem propagatis, funiculum formantibus umbilicalem. Evincunt igitur praeformationem quamdam in ovulo, nullatenus tamen quoad embryonem ipsum, sed quoad organa evolutioni embryonis nunquam non necessaria.

§. 4.

Verum vero non sola haec organorum praeformatio embryonis materialis, alia quoque dynamica ratio subesse videtur. Individuam organismi materni proprietatem quamdam gaudere influxu in ovulorum formationem, pridem physiologi comperere. Et haud dubie hic jam quaerenda prima constitutionis haereditariae origo, a matre plerumque pendens. Nam ovulum in ovario adhuc contentum matris est pars constitutiva, et in proprietatem constitutionis maternae receptum. Fulcitur quoque haec opinio frequente ovulorum alienatione, statu in sano rarissime reperibilis.

§. 5.

Perlustratis his, quaestio vix non physiologis ventilata: quaenam ratio sit originis vitae foetilis? dilucidationem suam expectat. Omnibus, quae circa originem ejus ratio atque experientia hucusque suppeditavere, rite aestimatis et collatis, ex densis generationis tenebris heec ad verum accessere: „non ambigitur germina nobilis nostrae prosapiei. Divum, feminae humanae insevisse, illa tamen cum femina interirent, et emorerentur, praegnans nisi vis masculi cum feminae vi concipiente sese misceret et gliscentem germinis humani vitam in facultates organico vitales humanas cogeret.“ En origo vitae foetilis!

§. 6.

In errorem igitur naturae scrutatores delapsi fuere, putantes generatas in absconditis viis membranarum mucosarum et aliarum partes organicas, crines, ossa, dentes-rudimenta foetus explicantes, illorum originem ex insita germini facultate nisu spontaneo in individuum viis indebitis efflorescendi. Quid aliud, quaeso, haec rudimenta, quam formationis anomalae producta, quae etiam sub statu sano efflorescere consuescunt?

§. 7.

Sunt, qui argumentum de origine vitae foetilis prolatum recusare volunt, superfoetatione fulcientes. Qui, ut rite reprobentur perpendant necesse est: quid superfoetatio, an haec obtingat, obveniensve, quod nunquam non dubium valeat adsertum diruere nostrum?

Translato ex ovariis in uterum embryone, denuo superaccedens conceptio, superfoetationis nomine celebratur. Convenire hanc et hominibus naturae scrutatores sequentibus argumentis seducti rebantur:

1. Analogia mammalium, quum praecipue in his generibus animalium superfoetationem observare putaverint, quin tamen in discrimen uterum humanum inter et mammalium bifidum, bipartitum aut bicornem scrutarentur.

2. Conceptione mulieris emortuo jam in utero foetu-functionem tamen uteri foetu emortuo mutatum haud respicientes.

3. Partu gemellorum evolutionis organiae distinctae; — quod argumentum superfoetationem evincendo nunquam par, magnus Hallerus jam defendit, adserens situm vitiosum gemellorum unius, explicationi nimiae alterius favendo formationem distinctam uterque exhibeat necesse est. Non minus valent investigationes Meisneri, Richteri, et ab Herderi aliorumve recentissimae ad refutandam hancce de superfoetatione sententiam, qui, quum confor-

matione dissimiles foetus gemellos duplici licet amnio, unico tamen chorio reclusos observaverint, uno coitu generatos jure asserere.

4. Foetibus coloris distincti uno partu enixis; sic Norton (1823) adfert gemellos diversi coloris, nigrescentem octo mensium album quatuor mensium uno partu prolatos; eventum non dissimilem de Bouillon (29 Tom. et Bull. 3) de Aethiope femina testatur, donec Dalmas (30. VII. Bd. 1806) scrutatione adcuratiori confirmaverit neutiquam his superfoetationem constabiliri, quum observaret feminam Rouensem mense graviditatis suae octavo proles bicolores peperisse, confitentem tamen graviditatis tempore coitum cum Aethiope, et quidem quartum post mensem celebrasse. Superfoetatione hic revera obveniente, prolibus diversam debere aetatem, diversum conformationis organicae gradum non ut prolium adlatae foeminae eundem, nullus erit, qui dubitaret.

5. Prolibus qui interstitiis quam par est majoribus, uti hebdomadibus, mensibus pariuntur, perfecte maturis, quam contentionem nunquam non figmento niti, cum omnibus scriptoribus reor.

Tandem 6. Praesentia bifidi, bipartiti imo dupplicis uteri quam in opprobrium experientiae haud negare, attamen objicere valeo cum Schmidtmueller, Klose, Metzger, singulam ejusmodi cavum evolvendo foetui haud idoneum, neque ullum qui vidisset uterum bifidum aut duplicem extitisse, utrumque ejus cavum, eodem tempore foetum recludens.

§. 8.

Cum ad superfoetationem interpretandam haec omnia medicis non sufficerent, praeeuntibus Fr. Walthero et Grunner ad superfoecundationem confugere, putantes conceptionem ovulo foecundato nedum in uterum delato, alteram omnino possibilem. Quod adsertum aeque falsum exinde liquet, quod uterus scopum, in quem ante foetationem

nunquam non nititur, foecundatione adsecutus, vitaque altiori graviditate imbutus conceptionis iteratae haud par evadat, ovariis remotiori nunc a tubis situ regressis statum erga coitum indifferentem exhibentibus; quibus procomplimento puerperarum, quo repente emortuae, ovaria degenerata, plerumque laxa, nunquam turgentia valere, nullus non perspicit.

§. 9.

Ad constituendam denique de origine vitae foetilis nostrum argumentum sint, clarissimi D. Professoris Töltényi Libri IV. §. 1390 in opprobrium omnis objectionis verba: „Neque argumentum a superfoetatione quandoque visa desumtum diruit effatum, vulgata etenim est observatio existere animalcula, quae stirpium plures uno coitu foecundant, tale prodigium ergo naturam etiam hominis vita quandoque sistere existimamus.“ Nec tamen hae, hisve similes hyperphysiologicae disquisitiones nostra conamina pathologica morentur: oriatur etenim foetus in foetu hac aut prorsus alia ratione, illius praepedire aut eludere originem mortalibus haud concessum unquam est.

CAPUT II.

DE GENERATIONE.

§. 10.

Ex varia hac, quae de origine vitae foetilis proposui, disquisitione, superest quaestio: quosnam nimirum fines agnoscit actio viri foecundantis in generationem embryonis ejusquae formationem ex ovo? quam considerationem, si rectam non perdere viam summus est conatus, confiteri oportet, omnibus ceteris maxime tenebris obfuscatam. Asserentes, omnem viro in procreando novo individuo competere vim, quum muliebrem omnino subjiciens ad altiorem vitae psychicae statum attollat, a vera theseos propositae ratione adhuc procul distant, in rem ob-

scuram per obscuriorem dilucidare putaverint. Sic et in eosdem errores juraverunt, qui actionem viri in foecundatione stimulum quemdam accessorium, mulierem ad novam sibique soli commissam productionem impellentem rebantur. Nullus dubito, contentionem hanc nunquam a densissimo, quo gaudet velamine, sublevatam iri, quod ab ipsa natura, alma genitrice sapienter ita constitutum, ut huic umbrae, caligine densa velatae, formam saltem induere licebit illam, quam pro ratione aevi jucundissimam noscimus. — Aestimatis his forsan, ut olim dixere: „Medium tenere beati." in medio quoque querenda veritas, utraque conjuncta opinione. Haud dubito, partus mulieris coitu ad augendam incitari activitatem, spermate simul virili gravissimo munere perfungente.

§. 11.

Quod ad dispositiones ex parentis haereditate pertinet morbosas, quidem rariores, nihilominus tamen et obveniunt, ita ut antiqui asseruerint, haud unum nostrum aliqua saltem vitia parentis per omnem vitam deplorantem. Investigans in causam hujus phoenomeni dispositionem tam somaticum quam psychicam patris eo momento, quo femellam impregnaverat, qualitatemque inprimis spermatis virilis morbosam indolem exinde probare studeo, quum sperma in corpore virili secretum nunquam non resorbeatur, denuoque secernatur in perpetua igitur comprehensum mutatione. Enimvero semine proxime ante coitum bonae indolis, puraeque secreto proles sana — sin secus — vitiis gignitur inquinata. Fortassis et structura testiculi complicata et mire convoluta, quid valet ad indolem feminis vix non bonam impetrandam.

12.

Vir ergo in generatione ipsum gignens, creans esse videtur, inchoans in ovo novam vitam, altioremve; femina vero uterum organon ovi continens

ad functionem augendam incitata, et suam ad opus hoc confert symbolam. Viro formam, muliere materiem foetui largiente, debetur huic magis conservatio et nutritio ovi, illi nisus ad formam magis individuam et nobiliorem.

§. 13.

Simili, quin dubitem, modo se habere videtur dispositio: num sperma virile, an solummodo pars ejusdem aetherea sit verum foecundans; an vero absorptio ejus in partibus muliebribus locum habeat; an fortasse in coitu nil aliud quam incitatio partium muliebrium ad majorem activitatem et ad perfectionem durantemque processum formativum. Opinione ultimo loco commemorata seductus, simulve qualitati spermatis nil valoris tribuens, negare haud possum, graviditatem et masturbatione aut coitu cum ennuchis oriri; sententiae vero de absorptione spermatis obstant oviducta longissima avium, non raro ovis contentis omnino clausa; obstat vagina longa multorum insectorum.

§. 14.

Praeeuntibus Lucae et Joerg, partem spermatis imponderabilem verum foecundans, non paucis ex argumentis opinione seducor profitenda — non enim concipio, conceptionem sine immissione membri absolutam iri, quin partibus spermatis imponderalibus facultas tribueretur foecundandi; qua de re Warges recentiore tempore (18. Bd 19. M. 1) testimonio est, adferens mulierem jamjam parturam vagina uteri poenitus coarctata praeditam, digitum explorare minimum haud sineate, nullo non coitu, propria conjugum confessione, sine membri immissione celebrato. Non minus Krüger (18. Bd. VIII. 3. Heft) feminam atresia hymenis praesente, gestantem; Russel in Jamaica (23 Vol. XI. p. 2.) atresiam genitalium Aethiopis feminae excepto osculo ad partem usque exiguo, aliique authorum plures similia adferunt. Quae omnia adsertum constabilire nostrum, negari haud potest.

§. 15.

Monendum adhuc censeo, magnopere a vero aberrare scriptorum nonnullos, qui foetum cum involucris suis organismum spontaneum, vitam gerentem propriam negare maluerunt. Evictum etenim, ut infra §. 20. nullam foetum inter et matrem conjunctionem immediatam, quapropter et vita propria gaudeat oportet. De cujus veritate in pathologia clarissimi D. Professoris Töltényi Libro IV. §. 1394: „Verum vero, etiamsi passionibus genitorum foetus multis modis vexatur, influxus tamen eorum infinitus nullatenus est.“ Vitae enim substantialis viribus nunquam non foetum gloriari pridem physiologi compercre. Crebrius enim observavimus ovum humanum foecundum crescere, resideat licet in organo matris evolutioni inepto, organisatione et functionibus integrum quandoque demortua matre observavimus eniti, vidimus morbos matris eum saepe poenitus arcere, alias vero difficulter et tarde passionibus matris succumbere.

CAPUT III.
DE EVOLUTIONE ORGANORUM FOETILIUM.

§. 16.

Utero, tubis Fallopianis, et ovariis coitu foecundo ad altiorem et fortiorem activitatem impulsis, ovulum in uteri cavitatem perduci, simul altiori vita gloriari, magis magisve e matris dominio eripiendum iri, credo. Conjunctio mox arctior inter uterum, ovumque in eo contentum; efflorescentibus utraque ex parte, chorio et interna superficie uteri, ramis apicibusque vasculosis, magis magisve invicem appropinquantibus, arctius in superiore regione connexis, firmius quoddam corpus constituentibus. His ex vasis minoribus pauca majora explicantur, versus interiora tendentia, iterumque recurrentia, primum rudimentum cordis et systematis vasculosi, funiculumque postmodum exhibentia.

§. 17.

Placuit in his vitae principiis Physiologis vesicam umbilicalem organon nutritionis, allantoidem respirationis nuncupare, verosimile tamen videtur, quemadmodum floccos chorii ad confirmandum systema, vasculosum, sic vesicam umbilicalem ad tubum alimentarem nedum existentem, allantoidem ad uropoesin conferre.

§. 18.

Disparente vesica umbilicali et allantoide fascia superest umbilicalis (reflexa tunica amnios*), ducens ad foetum arterias chorii, ex placenta vasis chorii et uterii in focum collectis orta, venamque exinde reducens; transerpendo ex umbilico ad corpus systema cutaneum embryonis evolvens.

§. 19.

Organorum ovi et embryonis loco attentionem voventes, contrariam inter utrumque existere rationem edocentur, creante intimo ovi organo, amnio, externum foetus involucrum; exhibet tunica estima chorion, rudimentum centro vitae foetilis cordis.

§. 20.

Alia vero in foetu organa eaque nova, necnon systemata completa, ovo haud tribuenda, sese obtrudi quisque perspiciet: systema nervosum et genitale, ossa et musculi, nullo horum in ovo vestigio reperibili, tandemque systema lymphaticum omni, quo gaudet, gravitate et praedominis exurgens ortu ac formatione horum organorum et systematum data est, incepta vita illa laetior et altior, quae prae ovo gloriatur foetus ipse, inchoans ope partium ab ovo vindicatarum propriam vitam, cavo uteri undique clauso effugiens tenellus vim nocivam externam, uterique ratione separata immune evadens, a multis et fortioribus noxiis ex matre oriundis.

CAPUT IV.

DE FUNCTIONIBUS.

§. 21:

Praemissis, quae circa organa, et systemata foetilia medicorum sagacitas collegit, scientiae in votis est, functioninum vitae foetilis reddere rationem. Prima quidem, quae hic expedienda proponitur, questio ea est: quonám capiat modo foetus materiem nutrientem? quod veteres de anastomosi apicum vasculorum in chorio et interna uteri superficie, sanquinisque immediata transgressione a matre ad embryonem putaverunt, nemo non est, cui falsitas hujus sententiae lateret. Enimvero edocuere dissectiones in uteris animalium gravidis vasorum uterinorum adcuratae, finibus in singulos acervulos stipatis, (in placenta materna) humorem lacteum, materiam quippe nutrientem, quae a finibus vasculosis in chorio positis (placenta foetili) recipitur et sugitur, sanquinique embryonis commiscetur, nutritione inserviens, extra graviditatem catameniis aut lactis fabricatione excernenda. Reticeo injectiones nullam utramque inter partem anastomosim exhibentes. Deinde et, quae scientia duce instituitur contemplatio, ostendit nullam haud esse transgressionem sanquinis immediatam a matre ad foetum. Vasculis enim foetilibus in vascula matris sese insinuantibus, emoreretur protinus foetus, stimulum sanquinis materni perferre impos.

§. 22.

Num etiam ope hujus chyli atque cum eo oxygenes embryoni e matre adferatur, extra lites plane positum nedum videtur; adserere tamen licet, quum sanquis foetilis discrimen arteriosum inter et venosum offerat, quippe e placenta foetili ad corpus foetile devectus, principiisque vitae imbutus arteriosus hepar inundans, pulmonibus nondum munere fungentibus, ultro vivificatus, per cor et aortam in

corpus distribuitur, hinc iterum per venam umbilicalem oxygenio orbatus venosus revehitur, hac via exquisite contingere respirationem et digestionem, quippe nutritionem. Placenta foetilis hac ratione et pulmonum extra corpus sitorum vices obit.

§. 23.

Prima igitur vitae molimina in generationem et formationem diriguntur; adlatam enim a matre materiam nutrientem, embryone digeri et adsimilari, uctione organorum, hepatis inprimis et systematis glandulosi, hic inservientium, celeri embryonis incremento lucide patet. Vigere et se- atque excretiones meconium, urina, smegma secretum, liquorisque amnic obscuratio testatur. Quo magis vero, quod inde emergit, evolvitur atque perficitur embryo, eo magis etiam ipse nisus formativus ad facultatem motricem extollitur, sub specie motus muscularis in lucem erumpens.

§. 24.

Sicuti materiae plasticae in rudimenta quaedam organica, haec deinde in texturas simpliciores, texturae in organa, organa vero in series majores et in integra tandem systemata congrediuntur, e quorum congressu universum aliquod conspicitur, ita et quae in minimis particulis viget, vita hominis sensifera pari passu cum vegetativa in lucem emergit, quo sine aequabili praematuro conflictu utriusque vitae (systematis vasorum et nervorum) hominis vitam componi haud posse physiologiae perhibent disquisitiones; anatomiae non minus docuere; pathologicae vero evineunt, affici embryonem influxibus diversis dynamicis. Transiliunt pathemata animi matris ad foetum nulla licet conjunctione nervorum inter utrumque ab anatomis reperibili, cum convellentia. Non possunt igitur immediatam nervorum actionem matris in foetum assumere, quin errores defendere. Pathemata animi hinc agunt temperiem normalem mutando, illine chili naturam a

placenta materna secreti qualitate sua alterando. Ad haec pathemata deprimentia, segniter attamen diutius, veluti pavor, moeror; ad illa vehementer et cito, uterror, ira e. c. agentia referri omnis noscit.

§. 25.

Organa aëris actioni, et sensationibus dicata, pulmones, sensusque nobiliores, pauca adhuc evoluta nedum fungi videntur. Vim igitur formatricem jam prima aetate eminere communicationemque cum matre immediatam, nec systematis vasorum, neque nervorum ope foetum fovere saepius commemoratum, ut potius omnes, quibus mater hac via (nervorum) in foetum gaudet, influxus aliam certe agnoscant causam, aliterque se habeant, quam, uti narrare consuevere.

CAPUT V.

DE MORBIS EMBRYONIS HUMANI.

§. 26.

Ovum humanum pathologicis phaenomenis saepissime laborare, partim experientia testatur, cum non raro expromi videamus ova morbosa, degenerata, mortua, partim physiologicae conditiones, quas supra enumerarimus eae sunt, ut facile pathologica expectare possimus phoenomena. Embryo quidem per propriam, quam vivit vitam bene munitus est a noxiis e matre oriundis, per matrem ab actione rerum externarum, vivit quoque vitam magis naturalem, solis legibus naturae subjectam, morbi ergo embryonis rariores sunt, si vero adsunt, fieri non potest pro tenera illa organisatione embryonis, quin fere semper sint lethales.

§. 27.

Varias supra commemoravimus conditiones, quibus regitur. In investigandis igitur morbis embryonis ipsius variis quoque viis ingrediendum erit. Consideravimus physiologice ovum in ovariis con-

tentum a patre excitatum, a matre conservatum, et nutritum, semper tamen vitam propriam agens; quae omnia aeque in pathologia embryonis jure meritoque summam merentur attentionem.

§. 28.

Consideremus primo morbos ovariorum et ovulorum in iis contentorum, quoad noxam offere possunt sequenti foetus formationi. Non opus est ut longior sim demonstrando, quoties sexus sequior, praesertim si constitutio universa non optima, laboret morbis systematis genitalis, ante omnia vero ratione catameniorum, quae vel primarie affecta permultis aliis ansam praebent morbis oportunissimam, vel secundarie patiuntur in quacunque alia affectione morbosa.

§. 29.

Quamvis, sicut supra demonstravimus ovulorum formatio in ovariis primo jam vitae tempore embryonis incipit, tamen pubertas imprimis ea est aetas, in qua virgines maximam merentur attentionem, cum aberrationes in propagandi stimulo ovariorum morbos facillime inducere possint. — Oblatam hic occasionem praeterlabi non sinam, corpora sic dicta lutea ovariorum pro viribus accuratius examinandi. Nimis vigente et acri stimulo nervorum, nec non ex suppressione catameniorum, quae hic non raro occurit, oriri potest status congestionis expansionisque vasorum in organis sexualibus, ex hac congestione autem actio vividior in iisdem organis procreatur, quae inflammationis statui quodammodo non dissimilis ita ut ovulum quoddam in ovario degeneretur et in corpus luteum mutetur. Quare corpora lutea neque conceptionis praegressae, nec pubertatis necque conceptionis praegressae, nec pubertatis signa sunt 1). Sed ex his

---

1) Cfr. Roose, D. Th. G. Aug. über die gelben Körper im weiblichen Eyerstocke, Braunschweig 1800. 8.

patere videtur non abhorrere a vero hanc positionem: si processus hicce abnormis in ovaria non eo producitur, ut ovulum aliquod disrumpat et penitus degeneretur, fieri posse, ut ovulum tale, plus minusve per hanc congestionem mutatum, a viro, serius admisso, vere foecundetur, tunc vero e dispositione hac morbosa oriatur vel vera, totalis degeneratio, vel morbus embryonis, formationem ejus simul afficiens.

§. 30.

Status hicce subinflammatorius dolore quodam distincto in regione ovariorum conspicuus cum sensatione quadam propria corpus totum, si tangitur illa regio, convulsive erigente, (s. d. Equitatio) conjunctus, explicat fortasse nonnullos morbos ipsorum ovariorum, exitui inflammationum similes, ut exfudationem, intumescentiam, indurationem. Non minorem inde lucem accipiet forsan degeneratio totalis ovi, aliique huic processui similes morbi ipsius embryonis.

§. 31.

Praecipue hoc valere videtur de ovariorum collectionibus aquosis, hydatidum forma vulgo conspicuis. Salent enim hydatides ovariorum vel magnitudine, vel copia, vel saepissima praesentia attentionem sibi vindicare summam. Potest autem, ut supra - jam diximus status ille subinflammatorius ovuli in ovario, nisi cum attingit gradum, ut plane degeneretur ovulum, eam tamen creare morbosam dispositionem, ut foecundatum postea abeat, in molam vesiculosam, vel si quidem embryo formatur, hunc morbis afficere illis, qui aquae collectione sunt insignes. Hanc saepissime originem habere videtur hydrocephalus, nec non collectiones aquosae in thorace et abdomine 1) foetum maturorum.

1) Ccb. Frankii Epitomae de curandis hominum morbis Libr VI. Part. I. §. 743.

§. 32.

Haec continuatio processus morbosi et aquosae formationis ab ovo in embryonem non formam organorum tantum, quantum dynamicam aliquam deflexionem respicit, ita ut haec dispositio morbosa in eo potissimum consistat, ut vires formatrices in ovo jam a recta via declinantes, etiam in embryonis formationem eandem transferant deflexionem.

§. 33.

Inveniuntur porro in ovariis massae tumidae, adipi similes, nec non vera concrementa lapidum saepe duritiem adepta. Haec quoque phoenomena a statu morboso praegresso pendere, necesse est; fomitis morbosi maximam suspicionem etiam hic praebet systema vasorum, cum organon affectum, ovariorum, insigni gaudeat vasorum copia et dignitate. Cujus autem generis sit hoc pathema vasorum docet ille, paulo ante commemoratus exitus morbosus, massae nimirum adiposae, lapidosae vel alius generis, concludi enim ex his licet ad praegressam inflammationem in vasis minimis, vel expansionem in vasis majoribus, praesertim venis. Massae illae adipose membranis distinctis inclusae inveniuntur, et certissime nihil aliud sunt, quam ovula degenerata, quod idem valet de lapidosis illis concrementis. Haec autem degeneratio, si minori adfuit gradu, foecundationem etiam hic adhuc admittit, quo nimirum haec dispositio morbosa in ovo agere pergit in formationem embryonis, et hic sine dubio fons quaerendus alius speciei degenerationis ovorum v. g. molae steatomatosae, lapidosae etc. Difficilius hic, quam in casu antecedenti (§. 31) huic ovi statui respondens aliquis morbus embryonis potest ostendi, sed rarissime certe in embryone talis occurrit status, nam cum embryo aqua semper sit circumdatus, aqua ad vitam suam et valetudinem maxime indigeat, facile intelligitur, defecta hujus liquoris, atque contraria virium forma-

tricium directione necessario vitam embryonis extinqui.

§ 34.

Sed primaria haec, et propria ovariorum pathemata non sola sunt et unica, quae in formationem ovi foecundati agunt, sed omnis quoque dispositio morbosa organa illa simul aggreditur, quare constitutionis hereditariae, a matre acceptae fons hic jam quaerendus. Ovula enim in ovariis partes organismi materni sunt integrae, cujuscunque igitur dispositionis maternae participantur, neque verosimile est, ovulum in ovario contentum munitum esse contra affectionem quandam, cui tamen in utero de quo adhuc inferius, obnoxium invenimus.

§. 35.

Secundum, quod in ovum, praesertim foecundatum agit momentum est organismus maternus. Nostris temporibus longe recesserunt medici a veterum opinione, qui matri causam deformationum frequentissimam tribuebant. Sed latissime patuit adhuc ante breve annorum spatium opinio, vana de noxia foetui afferenda per aspectum (Versehen), nondum poenitus submersa est. 1) Cum vero ne unum quidem idoneum argumentum in favorem hujus opinionis assidue affere possint, semperque nihil aliud habeant adducendum quam, uti dicunt, experientiam, et aniles historiolas, insania foret ei longius assentire. Nam nervorum conjunctio inter matrem et embryonem prorsus nulla, igitur haud facile explicabis, quomodo terror similesque animi affectiones sic, ut refertur, agere possint; zoomagneticam vero conjunctionem, si hic unquam de illa sermo esse possit, absque nervis iterum non assumes. Nonne similes habes foetus monstrosas inter animalia ovipara? et ubi hic illa conjunctio et efficax illud momentum, praesertim si animalia non

---

1) Dispositionem opinionum de monstris vide Meckel Handbuch der pathologischen Anatomie T. I. 1, pag. 8 sqq.

ipsa sua incubant ova? Deformationes istae sine dubio nihil sunt aliud, quam aberrationes nisus formativi in percurrendis animalium classibus, ita, ut in inferiori quadam harum classium remaneat, vel quoad totum embryonem, vel quoad singulum ejus organum. Reproductio, que adeo viget in embryone excessus vitia et partes redundantes facillime creat. Deformitates ipsas, cum magis vitae propriae embryonis sint vindicandae, infra tractabimus.

§. 36.

Rationem conjunctionis inter matrem et embryonem supra duplicem invenimus, et hancce viiam sequentes, noxias ex hac conjunctione orientes exponemus:

I. Chylus, qui ex matre in infantem transit, pathologicam subire potest mutationem, eamque

1. quoad mixtionem; hic praecipuus dispositionum haereditarium fons est quaerendus. Non omnino certe negandi morbi humorum, licet fortasse sint secundarii tantum, e morboso organorum secernentium statu exorti. Sic lympham toto corpore diffusam habebis malae mixtionis et indolis, si organa lymphatica, praesertim glandulae meseraicae inertes sunt, et morbose affectae. Hoc idem valet de chylo illo, qui a matre ad embryonem defertur huic igitur iste chylus depravatus assimilatur, et sic fere semper in foetibus mortuis invenimus glandulas meseraicas tumidas, duras, adipiformes, uno verbo — scrophulas. Sed non certas solummodo morborum formas creare valet chylus ille certo quodam modo depravatus; peccare enim potest in universum, ratione mixtionis, ita ut non bene quadret cum tenera embryonis organisatione: potest esse nimis pinquis, nimis nutriens etc. et tunc alia videbis in embryone phoenomena morbosa.

2. Chylus etiam ratione quantitatis peccare potest, morbosque embryonis inducere.

quamvis libenter confiteamur hanc morborum causam rariorem esse. Licet etiam placenta uterina chylum nimia copia secerneret; tunc placenta foetalis nunquam plus absorbebit funiculus umbilicalis nunquam plus embryoni adducet, quam pro constitutione embryonis propria sufficit. — Quantitatem chyli nimis parcam, ita ut embryo emacescat quasi et fame pereat, illo mali genere fortassis saepius occurrit, quamvis etiam hicce casus ad rariores pertinere videatur. Nam satis constat in graviditate nutritionis directionem principalem versus uterum duci ibive concentrari, semper igitur, si mater non nimis graviter aegrotat, in tali casu non embryo, sed mater noxiam ferret atque consumeretur. Non longum Temporis statium inde praeterlapsum est, ex quo praesertim Ackermann 1) aliique eo modo partus difficiles sublevare studerent, ut foetum minorem, molioremque redderent, matrem quasi esurire cogentes; (qui scopus fortasse etiam fuit potus Lehnhardtiani) satis superque autem tunc refutatum est hocce conamen partim per experientiam, quae speratum semper denegabat effectum, partim per demonstrationem ex parte jam paulo ante allatam.

II. Secundum momentum, quod per matrem in embryonem agit, est temperies gradus, a matre continuo conservandus. Nullo fere eget argumento, ex hujus temperiei mutatione morbos ovi oriri posse. Quam necessaria sit ad formandum riteque nutriendum embryonem haec temperies, animalia docent ovipara, que illam vel incubando producunt vel a solis aestu exspectant. Docet hoc porro illa observatio nimis aestuosam vel nimis frigidam coeli temperiem progignere non saltem morbos sed mortem quoque embryonum, quo frequentiores occurrunt abortus, partusque foetuum mor-

1) Ueber die Erleichterung schwerer Geburten vorzüglich über das aerztliche Vermögen auf die Entwicklung des Foetus, Jena 804. 4.

tuorum. Et jam Hippocrates loquitur de abortu epidemiae post frigidos Euros grassante. Simili forsan modo terror et deprimentia animi pathemata agere videntur, dum embryoni mortem adducant. Si ergo huic mutationi temperiei supervenit necessario vel fortuito alienatio (quantitativa vel qualitativa) chyli, noxia offeretur formando embryoni, ita quidem, ut non monstrosa formatio, sed vitium nutritionis et incrementi oriatur, infansque parvulus, macer fiat, imo diem obeat supremum.

Quod attinet ad oxygenis principium, quod embryoni putamus advehi, parva addamus, quae huic ipsi opinioni, eique nondum ab omni dubio remotae, fidem afferre videntur. Omne animal, imo ex infimis classibus, quid, quod etiam plantae vigere non possunt, nisi hoc pabulo vitae organicae fruantur. In ovis recenter incubatis animadvertimus vasa, quae sanquinem vehunt partim altioris, partim profundioris rubedinis, in ipso ovo habemus receptaculum aeri dicatum, quamvis de eo nondum certe constet, utrum gas aroticum, an gas oxygenes contineat. In embryone quoque discerni inter se possunt duae sanquinis species, venosa altera, altera arteriosa. In foetibus mortuis observavimus non raro expansionem venarum cerebri, sanquinem in iis contentum atri coloris, quae omnia mortem suffocativam vel appoplecticam indicare videntur, quod quidem mortis genus oriri potest e defectu oxigenii, partim vero e pressione funiculi umbilicalis, capitisque in pelvim incarcerati ortoque e tali causa impedimento circulationis. —

§. 37.

Sicuti supra in consideranda embryonis physiologia patris quoque rationem habuimus, sic etiam in embryonis pathologia, praesertim aetiologia hicce fons non praetereundus. Sperma virile quodammodo copiae, adhuc autem magis, indolis ratione noxiam habere posse videtur in foecundandum ovum;

si vel rudimenta et contagia morborum secum ducit, vel nimis debile, quasi dilutum, nec satis vivificans est, ita ut in provocanda nova ovulo vita aberrationis nisus formativi indeque ipsa formatio alienata queant oriri. Argumenta sumamus ex experientia: Viri libidinibus, onania, nimia animi exercitatione debilitati liberos (si unquam) gignunt debiles, rachiticos, saepe vitam solummodo minimam gerentes; coitus ab ebrio peractus stupidos creat et imbecilles; similitudo infantum cum patribus et hujus generis alia.

§. 38.

A b n o r m i t a t e s autem o v i i p s i u s adhuc aggrediamur. Sunt nimirum haec vel:

1. in e m b r y o n i s i n v o l u c r i s h a e r e n t e s vel
2. in e m b r y o n e i p s o, e j u s q u e v i t a e t o r g a n i s a t i o n e p o s i t a e.

Cum supra demonstraverimus, systema reprotivum et plasticum in embryone ministerium habere maximamque activitatem; sequitur, ut omnes abnormitates nunc considerandae vel in ipso systemate reproductivo positae sint, vel hoc systema consensu quam maxime perturbant. — Supra jam commemorata dignitas velamentorum ovi physiologica, actio eorum in evolutione foetus; magna ergo et memorabilis erit vis eorum in phoenomenis pathologicis, quae embryonem adeunt. Primo loco igitur de iis dicendum.

§. 39.

1. P l a c e n t a f o e t a l i s varias offert abnormitates.

a) Afferunt scriptores 1) nonnulli exempla in quibus defuit omnino placenta foetalis; de cujusmodi vero casu omni jure dubitatum esse videtur; quamvis enim nutritio embryonis per cutim et os omnino locum tenet, tamen si placenta deest, dee-

1) Heckerus.

rit quoque necessario liquor amnios, igitur nutritio per cutim et os plane non aderit, vel etiam si adesset, nutritionem embryonis per placentam compensare non posset. Error vero haud dubio observationi tali subfuit, ita nimirum, ut nondum in unum locum condensati fuerint apices vasorum, ovumque adhuc, sicut in primis graviditatis mensibus e toto circumdarent, leves saltem floccos in tota superficie chorii formantes; tunc igitur haec aberratio ad formationes retentas (Hemmungsbildungen Meckel) pertineret, exstat enim haec placentae foetalis ratio in nonnullis animalium classibus videlicet equorum porcorumque embryones.

b) Ratione structurae et texturae Persaepe observata est a nobis placenta filamentis tendinosis referta, quibus justo diutius in utero retinebatur; fuerunt haec filamenta fines vasorum alienati, parvumque embryonem maleque nutritum produxerunt. Eadem infantis ratio fuit tunc, cum placenta nimis parva et mollis, quasi pultiformis, praemature ab utero disjuncta, putredine correpta inveniebatur. Vicibus suis hic rite fungi non poterat placenta, macies, imo mors embryonis inde oborta. Rarum placentae nimis magnae et durae, quae embryonem nimis parvum produxerat, exemplum refert Ruyschius 1). Exemplum placentae hydatidibus refertae idem Ruyschius 2) et Albinus. 3) Extant apud Meckelium 4) relationes de placentis ad brutorum formationem accedentibus, ita ut forma ejus in longitudinem protracta, vel in duos lobos distincta, vel in duos lobos divisa, vel in duos denique lobos vere separata, vel quatuor vel quinque placentas singulas referens existat.

c) Ratione insertionis abnormis commemoranda est placenta praevia. Progrediente enim gravi-

1) Observ anat. chir. Abh. XIV.
2) Observ. anat chirurg. Abh. XXII.
3) acad Annot. Libr. I.
4) Handbuch der pathol. Anat. I. pag. 83. sqq.

ditate, auctave inde expansione uteri praematura saepe ab hoc disjungitur, ita ut quodammodo vita embryonis, magis autem matris in pericuto versatur.

2) Tunicae ovi quoque alienatae reperiuntur. Hocce vitium rarius occurrit, et tunc non tam embryonem ipsum infestat quam partus decursum normalem. Sine dubio hujus abnormitatis origo jam in ovulo, ovario matris contento, quaerenda, cum tunicas ovi ibi jam quaerendas supra demonstratum. Non desunt autem exempla, ubi haec velamina valde incrassata et indurata erant, simulque alienata ipsa placenta; conjunctio uteri cum ovo tunc praemature plerumque turbatur, et abortus insequitur. Ovi magnitudo tunc pro ratione embryonis major esse solet, ita ut 1) hunc jam prius mortuum esse censeas.

3) Funiculus umbilicalis hoc respectu non plane praetermittendus. Invenitur nimis contortus, nodis instructus, brevitate vel longitudine peccans, embryoni circumvolutus. Hydatidibus refertum invenit Ruyschius; arteria umbilicali destitutum commemorat Meckelius 2) in duplicem quasi funiculum divisum offert Voigtel 3) peccat etiam insertionis loco in placentam, ita ut non medium ejus locum sed latus quoddam petat. Observatus denique defectus funiculi (Stalpart. v. d. Wiel.)

4) Liquor Amnios. Aliquid ut supra diximus, ad nutritionem embryonis confert, depravata igitur ejus mixtio noxam afferre potest. Nimis rara ejus quantitas concretiones embryonis [cum tunicis ovi procreare potest; et nimis magna ejus copia sub nomine hydropis ovi notissima.

§. 40.

Embryonem ipsum, quoad vitam propriam vivit, alienationibus esse obnoxiam, nemo dubitabit.

---

1) Meckel Beiträge zur vergl. Anat. I. 1.
2) Handbuch der pathol. Anatom. I. 93.
3) Handbuch der pathol. Anat. III. 568.

Tam saepe videmus mortuos, immaturos, aegrotantes embryones, de quorum statu nulla nobis innotuit causa: mater bonae sanaeque constitutionis, nullo modo, quoad noscimus durante graviditate foetum infestavit, placenta et ovi tunicae non morbosae; morbi ergo causa profundius latere debuit, eaque in embryone ipso. — Obveniunt hic:

a) Morbi embryonis quoad formam et rationem ejus localem. Hic locus est considerandis deformitatibus. Supra jam demonstravimus, haec formationis vitia nullo modo a matre posse pendere, sed in ipsa embryonis organisatione esse posita. Sed nimirum vel remansio embryonis in loco vitae animalis humiliori, vel excessus et membra succenturiata, quod vitium vi reproductiva hac in aetate inprimis vigente facile explicatnr. Contra vero non negandum, haec, de quibus statim diximus, vitia non esse primaria, sed dependentia a causa quadam altiori, a noxa nos adhuc fugiente. Alia certe et non spernenda causa deformationum, e statu embryonis in humiliori vitae suae loco ortarum, haec esset: quod nimirum singula quaedam organa embryonis prae ceteris evolvantur, alia vero neglecta maneant et evolutione careant.

Deformationes frequentiores, quae huc pertinent, sunt: acephalismus; labium leporinum; os lupinum; exenterimus; spina bifida; genitalia monstrosa; pedes vari et valgi, excessus digitorum manus et pedis etc. —

§. 41.

Sed non solum formae alienationes in embryone animadvertimus; adsunt quoque:

II. morbi vere sic dicti, in vita embryonis propria positi; qui vero etiam imprimis ad reproductionem spectant. Sequentes formae frequentiores repertae:

a) glandulae meseraicae duriores et tumidae erant, ad instar fructuum pisi sativi, cultro dissec-

tae sebaceam ostendentes massam. Chylus ergo a placenta uterina secretus, a placenta foetali et funiculo umbilicali ad embryonem perductus, bonae fuit indolis, hae enim partes omnes sanae erant. Vitii ergo causa in embryone ipso quaerenda et sine dubio posita in depravata chylificatione et nutritione aberrante, nec non in inertia organorum, quibus hae functiones in foetu sunt commissae; plerumque etiam hi infantes maxime fuere emaciati. Statui descripto nunc conjunctus; interdum etiam solitarius inventus est:

b) Exanthema peculiare vesiculosum, pemphygo simile, quod totam cutim, praesertim vero interstitia digitorum manus et pedis occupat. Impletae sunt hae vesicae sero flavescente, et magnitudinem fructus pisi sativi attingunt. Infans adhuc vivus hoc exanthema jam in partu ostendebat, quod in hoc casu similitudinem variolarum quoad formam prae se ferebat; in initio elevations pustularum annulus ruber inflammatorius circa has erat conspicuus, simulque implebantur liquore seroso, ex quo postea pus genuinum ortum est, quo facto vesiculae disrumpebantur. Notandum vero, totius exanthematis decursum absolutum esse intra quadraginta octo horarum spatio.

c) Tertium hujus generis phoenomenon, idque neutiquam rarum species fiut quaedam concrementorum lymphaticorum in majoribus praesertim vasis, nec non in ipsis cordis ventriculis. Magnitudinem adaequabant fabae minoris atque parietibus cordis et vasorum inhaerebant, quod praecipue docere videtur, ortas esse has concretiones ante mortem, vivo adhuc organismo. Minora simul hujus generis concrementa sanquini innatabant ibique evanescebant. Observatum est hocce phoenomenon partim in infantibus bene nutritis, obesis, et hic certe, nihil aliud erat, nisi lympha redundans e nimia et morbosa vi reproductionis orta; lympha haec sanquini non satis immisceri potuit et proxi-

nis locis, iisque maxime idoneis, scilicet in corde vasisque majoribus, deposita est, unde circulatio sanquinis vehementer impeditur. Partim vero observata haec concrementa cum simultanea dispositione scrophulosa et induratione et depravatione glandularum meseraicarum.

§. 42.

Hae sunt, quae saepius inventae morborum formae. Non desunt quidem aliae quoque mutationes in his vel illis organis detectae. Huc referuntur: mutata hepatis pulmonumque structura, quae a spongiosa nunquam omnino recessit natura, nunquam vero in duritiem ipsam abiit.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Evolutio vitae foetilis omnino attentione digna.

II.

Educatio nonnunquam morborum fons uberrimus.

III.

Naturae scrutator verus et religionis cultor.

IV.

Naturae convenienter vivere, vere vivere.

Cicero.

V.

Pulmones inspiratione profunda explicantur.

VI.

Studium chemices medico summe necessarium.

VII.

Febres populares saepius ob pravam medendi methodum quam ob deleteriam earundem naturam occidunt.

VIII.

Noli sanare omnem morbum sanabilem.

IX.

Honora medicum propter recessitatem.

libr. eclesiast. Cap. 38 v. 1.

X.

nfringit nervorum vim quaecumque voluptas.

XI.

Matrimonium inter homines aetate multum distantes, scopo ejusdem repugnat.

XII.

'iducia aegri in medicum, sanationem adjuvat.

XIII.

Artem odontalgicam, qui spernit medicus, semet ipsum vituperat.

XIV.

Gypsoplastes in fracturis ossium ut remedium primum sibi vindicat locum.
